

ACADEMICA

De la libreria de don Juan de Cuenca.
SIVE

DE IVDICIO

ERGA VERVM,

Ex ipsis primis fontibus:

OPERA

PETRI VALENTIÆ ZAFRENSIS

in extrema Bathica. *De Josepho P. cano.*



De Antonio

*Ex Bibliotheca
Collegij Conchenf.*

ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA,

Apud Viduam, & Ioannem Moretum.

M. D. XCVI.

Cum Privilegio.



D. GARSSIAE DE FIGVEROA
PHILIPPI III.
HISPANIARVM PRIN-
CIPIS FELICISSIMI
CVBICVLARIO

Petrus de Valentia. I. C.



VI libros edunt, cum initio sta-
tim ingenij tenuitatem temporis-
que angustia excusant, non legi-
timam nec accipiendam excusa-
tionem afferunt: ostendant enim
oportet se & ad scribendum & ad festinandum
coactos. Ego quidem iure hoc à me in alios statuto
viti non recuso. Verum quanta imperium tuum
mibi necessitas sit, palam est: quam me iusseris
festinare, scis ipse: ut si cuiquam vnquam ea vti
excusatione licuit, mihi certè liceat. Nunquam
equidem ego mihi persuadere potui, eiusmodi in-
genij mei fructus esse, ut vel indoctorum palato
saperent, nedum tuo subtilissimo. Qui ergo tibi
apponendos existimarem? cum etiam nec in mo-
re sit positam aut deceat, ut aut diis aut principi-
bus viris gregaria & nulla precipua pulchritu-
dine insignia poma offerantur. At cum nos ter
qualis qualis est, agellus, tuus sit, quos is fructus
ferat, petenti non protinus tibi offerre nepha-

A C A D E M I C A

S I V E

D E I V D I C I O

E R G A V E R V M.



SAPIENTIAE studium gentibus omnibus satis ex antiquo in pretio habitum, nec vlla ad eò barbara & ab humano officio aliena natio fuit, quæ suos sapientiæ professores nõ habuerit & laudarit. Verum enimverò non eque ex antiquo apud alios, & alios populos id studium claruit. Ierius enim alij alius sapientiæ vacarunt. Græci qui præcipuam in hac re laudem vendicant, si cum Asiæ terræ incolis conferantur, pueri, quod doctrinæ ætatem spectat, censendi. Vti ab Ægyptio sapiente Soloni aliquando obiectum narrat in Timæo Plato. Huius ea causa fuisse videtur. Nam cum sapientia illa quæ humani ingenij opera & studio paratur, non nisi otiosis & in pace agentibus, eiusque fatigantibus obueniat, ac plerumque dominationem comitari, & apud illos penes quos rerum imperium sit agere, eosque colere soleat, (cum & ventri & ambitioni hoc sapientum genus in primis attendat, priuatique com-